

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 3, distinctio 36, quaestio 1. (fol. 88ra)

Utrum sit ponere connexionem in virtutibus?

Circa quam quaeritur primo, utrum sit ponere connexionem in virtutibus? Et videtur quod sic, quia impossibile est esse prudentem non entem bonum, sicut dicitur, *VI Ethicorum XVI*.² Sed homo non est bonus sine morali virtute. Sed nulla virtus potest esse sine prudentia. Ergo, non habentur aliae virtutes sine prudentia, et illa habita omnes habentur.

Item, Augustinus *VI De trinitate IV*,³ virtutes quae sunt in animo humano nullo modo separantur ab invicem.

Item, Gregorius⁴ super illud, ne forte peccaverint etc., neque una vere virtus est, si mixta aliis virtutibus non est.

Contra, experientia docet aliquos esse curiales, qui sunt luxuriosi et non casti, ergo non sunt connexae.

Item, Augustinus *Ad Hieronymus*,⁵ non est ista divina sententia, qua dicitur: qui unam virtutem habuerit, habeat omnes, quia ei nulla est, cui una defuerit.

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 3, d. 36, q. 1, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Aristoteles, *Ethica Nicomachea* VI.13, 1144a.

³ Augustinus, *De trinitate* lib. 6, cap. 4.

⁴ Gregorius Magnus, *Moralia in Iob* lib. 1, par. 36.

⁵ Augustinus, *Epistulae* epist. 167, cap. III, n. 10.

Respondeo, dicendum, quod ad istam quaestionem respondet Gregorius, *XIII Moralis*,⁶ ubi dicit, una virtus sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta est.

Item, idem *XXII*,⁷ prudentia vera non est, quae iusta et fortis et temperans non est.

Item,
Seneca dicit, omne quod⁸ bene fit, fit iuste, fortiter et temperanter.

Unde est intentio Gregorii et Augustinus, quod si virtutes accipiantur imperfecto modo, non oportet quod sint connexae, quia imperfecta virtus est quaedam inclinatio existens in nobis ad aliquod bonum opus in genere, sive sit acquisita, sive innata talis inclinatio, sicut patet quod aliqui sunt prompti ad liberalitatem, et tamen sunt privati castitate. Perfecta autem⁹ virtus est habitus inclinans ad bonum opus bene agendi, et isto modo quasi¹⁰ omnes ponunt eas connexas.

Unde Ambrosius, *Super Lucam*, connexae sibi invicem sunt concatenateque virtutes, ut qui unam habuit, plures habere probetur.

Item Tullius, *De tusculanis quaestionibus*,¹¹ si unam virtutem professus es te non habere, nullam necesse est te habiturum.

Huius
autem connexionis duplicem causam possumus adsignare.
Una est Gregorius, *XXII Moralis*, et alia est Philosophi, *VI Ethicorum*. Ratio autem Gregorii est secundum generales condiciones virtutum, ut pote quod discretio pertineat ad prudentiam, rectitudo ad iustitiam, modestia ad temperantiam, firmitas ad fortitudinem in quacumque materia ista considerentur. Nam firmitas non habet laudem virtutis, si sit sine moderatione, vel rectitudine, aut discretionem, et eadem ratio est in aliis. Unde sunt connexae quantum ad appropriata, sed non quomodo¹² ad propria. Eadem autem ratio ponit Augustinus, *VI De trinitate*. Philosophus autem adsignat secundum materiam, quia ut dicit nulla virtus moralis potest haberi sine prudentia, eo quod proprium virtutis est quod sit habitus electivus. Sed ad rectam electionem non solum requiritur quod dirigatur indebitum finem, quod est directe per habitum virtutis moralis, sed oportet quod eligat ea quae sunt ad finem, quod fit per prudentiam, quae est consiliativa

⁶ Gregorius Magnus, *Moralia in Iob* lib. 22, cap. 1, n. 2.

⁷ Gregorius Magnus, *Moralia in Iob* lib. 22, cap. 1, n. 2.

⁸ Scripsit sed del. *iusta*

⁹ Scripsit sed del. *h*

¹⁰ Vel *quaestio*

¹¹ Cicero, *Tusculanae disputationes* lib. 2, cap. 13.

¹² Vel *quo*

et praeceptiva eorum quae sunt ad finem. Nec prudentia potest haberi sine aliis virtutibus, quia ipsa est recta ratio agibilium, quae sint ex principiis procedit ex finibus agibilium ad quos quis recte se habet per virtutes morales. Unde sicut scientia speculativa non potest haberi sine intellectu principiorum, ita nec prudentia sine virtutibus moralibus. Unde quocumque vitio posito corruptivo principii, ex principio autem <88rb> corrupto non potest bene homo rationabiliter operari.

Dicendum est igitur, quod virtutes sunt conexas, si perfecte et complete accipiuntur. Si autem imperfecte, non oportet quod sint conexas. Et sic currunt argumenta pro utraque parte.

Utrum autem sint connexae virtutes theologicae? Dictum fuit supra, quod virtutes omnes in caritate coniungebantur, quia omnes gratuite fuerit per caritatem. Sic autem est in illis quae se habent secundum ordinem, quod quanto aliquis status est perfectior plura requiruntur ad sui perfectionem et facilius corrumpuntur, sicut patet de sanitate corrupta, quia licet non auferat infirmo ambulare, aufert tamen ei currere. Et sic est quod caritate habita omnes habentur, et etiam non e conversio.